

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3662

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Paris, Vauvert (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1265, septembre

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, approuve et confirme les acquisitions faites par le prieur et les frères de Vauvert à Paris de l'ordre des Chartreux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 710, p. 155-156.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, sicut intelleximus, prior et fratres Vallis Viridis prope Parisius, Cartusiensis ordinis, quasdam possessiones et redditus, partim titulo donacionis, partimque titulo empcionis, acquisierunt, prout inferius continetur, videlicet : ex assignacione sibi facta a dilecto consanguineo et fideli nostro Alfonso, comite Augi, racione legati seu donacionis M. quondam uxoris ejus, quindecim libras turonensium annui redditus in vicecomitatu de Septemmolis. Item centum solidos parisiensium annui redditus augmentati census super quadam domo sita Parisius, juxta rippariam, in Morteleria, a parte aque contigua domui defuncti Petri de Tornaco, et domui Framboudi Fullonis, in censiva nostra, ut dicitur, per empcionem factam à Michaele Pilocervi. Item sex libras parisiensium annui redditus augmentati census siti Parisius, in capite Mortadrie super Secanam, super domo Simonis de Venabulis, in censiva camerarii Francie, ut dicitur, ex donacione Mathei de Sancto Germano, parisiensis civis, et Helloysis ejus uxoris. Item quadraginta solidos parisiensium annui redditus augmentati census, super quadam domo sita in Gravia ad butum vici Sancti Johannis, contigua, ex una parte, domui Rogeri Fenerii, et domui Gaufridi Barbum, ex altera, in censiva nostra, ut dicitur, ex vendicione facta a Margareta dicta Marescalla, relicta defuncti Radulfi Marescalli, et Mathei ejus filii. Item sexaginta solidos parisiensium annui [redditus] augmentati census super medietate cujusdam domus site Parisius in Tonnelaria, contigue domui Johannis de Corbolio, et domui Galteri Riboudi in censiva nostra, ut dicitur, ex vendicione facta a Benedicto dicto de Sancta Oportuna presbitero. Item decem solidos parisiensium annui redditus percipiendi super quadam domo sita Parisius super magnum pontem ab opposito ecclesie Sancti Leofredi Parisius, in censiva et dominio nostro, ut dicitur, ex vendicione facta ab abbate et conventu Sancte Genovefe. Item sexaginta solidos parisiensium augmentati census annui seu redditus, percipiendi super duabus domibus sese contingentibus, cum proprio et pertinentiis earundem, que domus contigue sunt, ex una parte, domui Stephani Marcelli, et ex alia parte domui Theobaldi de Corbolio, in censiva nostra, ut dicitur, ex vendicione facta a Renerio Marcelli et Stephana ejus uxore. Item triginta solidi et dimidius parisiensium augmentati census, annui

redditus, percipiendi super quadam domo sita Parisius in Mortelaria, contigua domui Framboudi dicti de Fontaneto Fullonis, ex una parte, et domui defuncti Petri de Tornaio, in censiva nostra, ut dicitur, ex vendicione facta a Michaele dicto Baboe et Johanna ejus uxore. Item quendam furnum qui est furnus communis ville de Salicibus, moventem de feodo nostro, ut dicitur, ex vendicione Johannis de Glesiis, militis, et Isabellis ejus uxoris. Nos autem predictas acquisitiones, prout a predictis priore et fratribus juste ac racionabiliter facte sunt, ratas habemus et gratas, quantum in nobis est, et eas auctoritate regia confirmamus ; volentes et concedentes, quod dicti fratres eas teneant in manu mortua et possideant im perpetuum, pacifice et quiete, retenta nobis et successoribus nostris in predictis justicia nostra, cum omnibus redibentiis nobis debitis, et salvo in aliis jure nostro ac jure eciam in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, mense septembri.